

pinguitudine inficit ferrum & fragile facit. Eodem bitumine hi quos ligna deficiunt, cibos coquunt: caldaria, in quibus hyeme degunt vitam, calfaciunt, vrunt calcem. Mixto oleo tritus hic carbo emolliri potest, quo quidē agricolæ vites oblinūt, quod vermes illarum oculos rodentes interficiat.

Sunt autem duplices tales carbonēs, leues scilicet & rari, vt aquæ nonnunquam innatent, propter terre excoctionem. Hos Theophrastus *γνώδεις* dicit. Deinde sunt & graues, qui effodiuntur in agro Leodiensi, qui dicuntur *λιθώδεις*. Græci *αἰθρανας* vocāt.

Porro omnes constant ex materia prorsus crassa terrestri, ita adusta, vt partes aëreæ absumptæ sint, & si quid oleosum ac pingue residuum, id non nisi sulfureum & nidorosum quiddā spirat. Verisimile autem est non simpliciter calido & sicco halitu, sed interuentu ignis subterranei inflammatum hoc bituminis genus nasci, quod